



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Gvmmari, Praeclari Confessoris: Ex ea quam Theobaldus
conscripsit. Claruit anno Domini 775. Hadriani Papæ. 4. &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Vide Tom. 9. Annal. C. Baron. VITA S. GVMMARI, PRAECLARI Confessoris: Ex ea quam Theobaldus conscripsit. Claruit anno Domini 775. Hadriani Pa-pae 4. Cc.

II. Octob. **Renensis. Patria eius.* S ANCTVS Gummarus, praecleara stirpe, apud Emblehem *Rienfis prouinciæ vicinioriundus, ab ipsis incunabilis Deo mancipatus, excellentibus virtutum exordijs vitam adornauit, sanctioribusque semper studijs insistens, sanctissimo fine cursum consummauit. Cùm fragrantissimis bonorum floribus, adulta iâ ætate, mirificè exornatus esset, parentes eius summæ spei adolescentem ad aulam Pipini Regis, qui tunc regni habenas moderabatur, perduxerunt: à quo peramanter susceptus atque honorificè, propter spectatam vitæ morumque probitatem, habitus, non multò post, magna præfectura honoratus est. Is verò pro sua prudentia non solum Regi gratus & acceptus, sed etiam cunctis optimatibus eius charus erat:

Summus viduarum patronus. præcipuus nimirum pacis & iustitiæ amator, summusque viduarum & orphanorum patronus; qui ita potentium iniurias à miseris propulsabat, vt tamen insita humilitate omnium sibi animos firmissimo amicitiae nexu deuinctos seruaret.

Ducit uxorem longè sibi dissimile. Cùm autem hisce virtutibus florens Deo hominibusque eximiè charus esset sanctus cōfessor, Pipinus Rex eum ad honestum splendidumque, vt apparebat, cœpit inuitare coniugium; persuasitque viro sanctissimo, ab omni libidinis cupiditate alieno, vt Guinmariam, foeminaam longè à suis moribus discrepantem, duceret,

ret vxorem. Paruit is Regis consilio, ac volun-
tati, diuino proculdubio instinctu, vt virtus
tribulationis igne probata, tandem aliquādo
perfecta atque omnibus numeris absoluta red-
deretur. Nam quantū ille humilitate & mise-
ricordia, tantū illa crudelitate redundabat.
Cum ergo iussu Regis ad necessariam sese ex-
peditionem pręparare cogeretur, cura domus
sux totiusq; familię ei relicta, sedulo illi mā-
suetudinis virtutem commendauit; hortatusq;
est vt subditos omni lenitate in officio cōtine-
ret. At illa belluina quadam feritate, post eius
discessum, assumpta, cœpit sœuire in suos, bo-
ues & iumenta eis auferre, seruitia eorum con-
temnere, probis insectari, possensiuinculas au-
ferre, denique nihil pręter paupertatem & la-
borem, vitamq; cum summa miseria coniun-
ctam, relinquere. Cumq; nihilominus absq;
vlla clementia tantundem ab illis operis exi-
geret, quantum antea consueuerat, illi bobus
spoliati, instar iumentorum, colla iugo suppo-
nentes, onusta trahebant plaustra, plagas dura-
que verbera à fœmina immo immani bellua
pro mercede reportantes.

*Seruitia vxor-
is eius in
seruos.*

Interea annis * nouem exactis, dimisso à mi-
licia exercitu, sanctus quoq; Gummarus ad sua
reueauit. Et ecce apud riuulū, qui dicitur Die-
pennorch, quendam è seruis plaustrum trahē-
tem vidit, eundemq; dirē cæsum, toto rasum
capite, & dirē lachrymantem. Ad quem vt pro-
pius accessit, motus pietate; Quis te, inquit, fra-
ter, intantum affixit? Quis tibi caput rasit?
Quænam est lachrymarum & tanti causa mœ-
roris? Cumque ille Dominæ suæ crudelitatem

** septem.
Attende in
sericordem
viri Dei cri-
mum.*

N 2 refor-

reformidans, rei veritatem explicare non aude-
 deret, vir sanctus multis ab eo minis extorsit,
 audiensque tantam vxoris suæ sæuitiam, ab
 ipso pectore ducens suspiria, iussit illum se
 reuerti. Nolentem verò præ timore, vi coëgit
 dixitque ad omnes qui præsentés erant: Ingre-
 sus domum, iubébo mihi potú adferri. Quòd si
 illa potú vituperauerit, nos eū cõtra laudemus
 vt pudore afficiatur. Indè domum intranti oc-
 currit tota familia; eiulant, & clamitant om-
 nes, se grauitè cæfos, iniustè spoliatos, mo-
 dis omnibus miserabiliter vexatos. Ille hoc
 videns, animo sanè conturbato, inquit, ad vx-
 orem: Conturbet te Deus, sicut alios perturbat
 isti. Oportebat certè bonum operari ad omnes,
 maximè ad domesticos fidei. Siue enim seruus,
 siue liber, omnes in Christo vnum tumus. Par-
 ce ergò seruis tuis, pone modum sæuitiæ tuæ.
 Eademque hora iussit pecus omnè è pastu re-
 duci, & singulis quod suum erat restitui. De-
 indè cum sedisset, quasi sitibundus, potum afferri
 præcepit. Et cum ceruisia allata ab omnibus et
 ordine biberetur, femina illa more suo nequiter
 eam vituperabat. Sed sanctus Gummarus,
 ceterique qui cum illo venerant, egregiè eam
 efferentes, mulierem pudore affectam tacere
 compulerunt. Post hæc lautum & copiosum
 iussit instrui conuiuium, quo tam seruos, quam
 liberos, splendidè humaniterque excepit; om-
 niumque animos paterna consolatione recrea-
 uit, & sic demum mirificè exhilaratos in do-
 mos suas à se dimisit.

*Obiurgat vir
 sanctus vxo-
 rem ob eius
 crudelitatem.
 Galat. 6.*

*Vult ire Ro-
 mam.*

Porro S. Gummarus toto desiderio cælestibus
 inhians, vt fugientem mundum eiusque gloriam in-
 anem

gnem penitus excuteret, & vni Deo Regi Re-
 gum Christo tota animi virtute deinceps serui-
 ret: statuit cum nonnullis è vicinis suis Romã
 proficisci: vt ibidẽ spiritualis militiae arma sus-
 ciperet, totumq; se ad castra Summi Imperato-
 ris transferret. Accidit aut̃ primo suscepti iti-
 neris die iucundũ sanẽ nouumq; spectaculũ,
 quod Gummarum virtutẽ ac sanctitatem egregiẽ
 illustrauit. Cum enim nõ lögẽ à domo sua pro-
 gressus tentoriũ iuxta fluuium Netam fixisset,
 arboremq; pulcherrimam fulciendo tentorio
 necessariam succidi iussisset, mox loci illius
 possessor adest rusticus, iracundia plenus, fren-
 densq; inculcat omnes, nulli parcens: verus-
 que ad sanctum Gummarũ multa verborũ as-
 peritate; Cur, inquit, agrum meũ peruasisti? En
 hic iumenta & tentoria vestra: ita vobis aliena
 vendicatis, tanquã propria? Omnia depascitis,
 omnia conculcatis, omnia prosternitis. Quid
 mihi & tibi Gũmare? Quid mali tibi feci? Neq;
 te offendi, neque quenquam tuorũ læsi. Quòd si
 nulla in me culpa hæret, quid ita innocentem
 conteris? Et vt cætera damna præteream, hoc v-
 num præcipuẽ doleo, q; arborẽ hanc, quam ip-
 se plantaui, quam tot annis seruauim, succidi vo-
 luisti. Respondit placido vultu S. Gummarus:
 Agnosco peccatum meũ; sed si iniuriã irroga-
 ui, ita vt par est, satisfaciam tibi. Aut præcisam
 arborem restituã, aut iustum eius precium per-
 soluã: Saltem hac nocte, obsecro, quiesce. Vix
 multis precibus rustico, vt vsque mane sileret,
 pacato; Gummarus ad solita oratiõis arma cõ-
 fugiens, iuxta arborem prostratus totam ferẽ
 noctem insomnis peregit: surgensq; ab ora-
 tione loco illaesa.

*Rusticus
 quidã multũ
 verborum
 asperitate
 eum obiuro-
 gat.*

*Arbor præ-
 cisã eius pre-
 cibus resti-
 tuitur suo
 loco illaesa.*

riore arborem collegit, eamque zona sua col-
ligavit: que protinus (res profecto mira & per-
petua celebritate digna) adeo consolidata est,
ac si nihil prorsus antea cessa fuisset; atque eti-
am eodem in loco sana consistens, sola circum-
ligatae zonae retinet vestigia in gloriam Dei &
laudem serui eius. Manè rediens rusticus, he-
sterna adhuc ira tumidus, ut à S. Gummaro blá-
dis verbis & iucundo vultu perductus ad arbo-
rem, eam inuiolatam vidit; ingenti admiratione
affectus: Profectò, inquit, virtus Dei hæc est.
Non enim humani operis est, ut arbor succisa,
exiguæ noctis spatio in pristinum consurgat
statum: Arbor hæc, quam hoc miraculo tibi do-
dicasti, deinceps mea non erit. Hanc ego tibi
do, & quidquid hoc in loco mihi hæreditarium
est, eius ego te volo perpetuum & stabilem esse
possessorem. Ab illa igitur die firma & stabilis
inter illos inita est amicitia, & post mutua of-
ficia & amplexus pacificè discesserunt.

Cæterum eadem nocte, quæ prima fuit ite-
neris eius, quiescenti in tentorio suo apparuit
Angelus Domini in specie columbæ, aitque ad
eum: O Gummare, esto vigil. Ecce enim ego
adsum tibi missus à Deo nūcius, eius tibi man-
data aperies. Disposuisti quidem Romam per-
gere, Apostolorum Petri & Pauli visitaturus
limina; sed Deus qui ubique præsens est, & cu-
ius oculi quous in loco & bonos & malos co-
tèplantur, mandat ut in loco haud procul hinc
posito, circumfluentem amne concluso, arbori-
busque confito, oratorium cõstruas: ibidemque
gratissimam Deo seruitutem exhibeas. Hic tibi
viuenti sedes; hic defuncto requies erit.

Hæc

*Idem rusti-
cus arborem
& agrum
seruo Dei
dat possiden-
tiam.*

*Prohibetur
ab Angelo.
Romam ire
ad sublimio-
ra inuitatu.*

Hac visione rutilantis' mirabili splendore columbæ vir sanctus excitatus, ilicò, gratijs Deo, vt par erat, actis, flumen transmisit, locumque ingressus arborès & frutices exirpauit, & ouiu ac ferarum lustra in commodissima hominum domicilia permutauit, & Ecclesiam in honorem S. Petri condidit; ibidemque orationibus & rerum diuinarum meditationib. sedulò vacans cælestem in terris agebat vitam: atque interim ad villam suam Emblehem subindè com means, (quæ paruo indè aberat intervallo) charitatis officia ergà pauperes & miseros egregiè exercebat; nudis vestimenta, fame siti que laborantibus cibum potum que præbebat; curam ægrotorum gerebat indefessam; peregrinos hospicio excipiebat; pupillos & viduas patrocinio suo protegebat: denique sanctis operibus strenuè viriliterque insistens Dei & hominum gratiam promerebat.

Condit ecclesiam in honorem S. Petri.

Affine contemplatiue vite vicissim dat operam.

Cæterum vxor eius, immiti planè & fero ingenio mulier, nihil de sua in seruos remittebat sequitia: spretisq; pij coniungis monitis, de lassatos quotidie famulos minis verberibusq; ad opera vrgebat. Cumq; die quodã, æstu solis feruētissimo miseros agricolas vehementer affligente, truculenta mulier eos vehemētius affligeret, vrgeretq; vt operi sinè intermissione, siti propemodū confecti, instarent; atq; illi infimis precib. à crudeli fœmina breue aliquod refrigeriū precarentur, nihilq; obtinerent, accidit vt Gummarus messem lustraturus superueniret. Cui protinùs agricolæ lachrymabundi ad pedes procidētes, intollerabilem vxoris sauitiam exposuerunt; ab eo que aquæ haustū

Vxor eius immitis & fera bellua.

pro refocillatione postularūt. Ille supplicum precibus lachrymisque commotus, increpita duriusculè vxore: O ferreum, inquit, pectus & peruersa mens, cur non flecteris misericordia? Recede hinc inuisa Deo, hominib. odiosa; Illa verò mox recedēte, vir sanctus baculo terram fodit, aquasque largissimas scaturire fecit; quarum & haustu, & miraculo refecti sunt. Manet etiamnum fons ille ibidem, vt sit perenne claræ virtutis testimonium.

*Fodit baculo
terram &
fons erūpit.*

Porro vxor beati viri domum regressa, mox nimio ardore periclitari cœpit. Vltrix enim impietatis eius sitis eam vexabat, quæ paulò antè familiam sitientem refocillari nō permiserat: & iusto Dei iudicio, cruciatū intolerandæ sitis sustinuit, quæ in alijs per cōmiserationē sitis calamitatem sentire noluit. Cū verò ardor ille nulla aqua extingui posset, iamque mortem sibi imminere cerneret, per nuncium Gummari clementiam deprecata est. Ille autē pro insita mansuetudine, misericordia motus, confestim domum properauit, eamque prope modum animam agentem, signo sanctę Crucis consignauit, potumque sua manu porrexit: quo hausto corporis quidem sanitatem recepit, sed animum tamen in melius non mutauit.

*Signo Crucis
sanat Coniu-
gem mori-
bosam.*

Cū alio quodam tēpore familia eius apud Lenchen in agro feria secūda meteret, infans quidā pannis inuolutus à matre in manipulū est depositus. Illa interim de puero securā, indè ad laborē recessit: sed mox infātis dormientis os inuasit coluber, seseq; volūtado, in vētrē irrepsit. Superuenit fortè S. Gummarus, qui visa colubri cauda ab ore infantis extāte, sanè
exhor-

exhorruit, ac protinùs perfossa cauda, serpente[m] extraxit; eoque ad virgam suspenso, familiam conuocauit: suisque, misericordia motus, eam legem præfixit, vt quæcunque mulier lactentem haberet paruulum, secundis ferijs ab omni seruitio immunis esset.

Extrahit serpente[m] ab ore infantis.

Eodem tempore S. Rumoldus mirifica sanctitatis fama florebat, ac summo vidèdi Gummaram desiderio inflammatus (multa namque de sanctissimi viri præstantibus virtutibus meritisque audierat) tandem non sinè magna animi voluptate eum conuenit, & sermonem de rebus diuinis familiariter instituit. Cumque duo illa clarissima eius prouinciæ luminaria, multa inter se de daemonum insidijs, de armis cælestibus nobis collatis, de reproborum supplicijs, & præmijs iustorum; de vitæ huius breuitate ærumnis plena, & certaminibus electis omnibus necessariò subeundis suauissimè conferrent; alter alterius sermone adeò recreatus fuit; vt recessuri diem locumque constitueret, ad quem rursus pariter conuenirent: mutuisque sermonibus & sacre scripturæ ferculis sese reficerent. Loco nomen erat Stadeki; in quo, die condicto, sibi occurrerunt, aridam vtriq; manu gestantes virgam, quas simulac proiecerunt, illæ in vicinè quercûs trunco consistentes, momento viruerunt, floresque & folia protulerunt. Hoc tam euidenti signo diuinitus edocti, eorum conuentum haud dubiè Deo placere; constituerunt vt annis singulis cum totius populi frequentia Missarum ibidem solennia celebrarent: & non suos tantum, sed & aliorum omnium animos suauissimo

S. Rumoldus, Mechliniensium A. postolus: cuius vitam habes Tomo 3. Iulij. 1. Colloquia Rumoldi & Gummari.

Virga arida repente virescunt.



diuinorum eloquiorum fluente rigarent.

S. Gummarus abiit in celos.

Tandem succedente tempore vir diuinis infirma valetudine fatigari captus, in morbum incidit lethalem, cursumque vitæ mortalis in villa sua, cum certissima æternæ salutis spe lætabundus absoluit, quinto Idus Octobris. Cuius ad exequias cum amici & cognati frequentes conuenissent, ut sanctas reliquias in eadem villa conderent, diuinitus ab eo officio cessare sunt moniti. Dormienti namque Virachildi sanctimoniali in oratorio S. Petri, quod S. Gummarus ædificarat, cælesti oraculo dictum est, ut reliquias beati viri in eius Ecclesiam trãsferri curaret. Illa verò semel iterumque oraculum neglexit, verita se apud neminem visionis suæ fidem inuenturam; cum ecce tertia nocte visus est adesse Gummarus; qui negligentiam increpitans, dexteram suam super eius faciem imposuit: ut manifesto signo omnibus certissimæ visionis fidem faceret. Attactu namque manûs eius, caro in candorem mutata est, & digitorum impressa retinuit vestigia.

Visio Virachildis sanctimonialis.

Manè igitur illa rem totam presbytero, & alijs qui aderat, indicat, ac signi euidètia egregiè comprobat. Itaque, omni mora postposita, ad monumentum venere, eoq; aperto custos pecorum S. Gumhari, qui suam quoque operam extruendæ eius Ecclesiæ nauarat, reliquias eleuauit (cæteris, quod mirum videri decet, nullavi, aut arte id præstare valentibus) & ad amnem vsque, ubi parata erat nauicula, deportauit. Quibus deindè cymbæ impositis, illa sinè vlllo remige vel nauclero, cursu velocissimo, non

Miraculum.

non sine ingenti miraculo, ad villam contendit, ibique substitit. Fuit tum beati viri corpus cum multa reuerentia in eius ecclesia humatum, ubi annis quadraginta quieuit. Postquam verò monasterium, quod ibi adhuc cernitur, constructum est, fuit in illo honorificè repositum: ubi multis admodum clarum miraculis in hodiernum vsque diem refulget,

*Translatio
S. corporis
eius miraculis
celebris.*

VITA B. BRVNONIS ARCHIEPISCOPI
Coloniensis: Ex ea quæ est per
Benedictinum. Excessit ex humanis Anno
Christi 965. Benedicti 5. Papæ 1. Ottonis verò
Imp. 4.

** Rotgerum
& Rogeriū.
Vide Tom.
10. Annal.
C. Baron.*

HOMO homini quantum præstet, nuper à pluribus in venerabili Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo Brunone compertum est, Is enim cum quatuor admodum annorum puer literarum studijs imbuendus Baldrico Traiectensi Episcopo missus esset, inuisa Nortmannorum tyrannis, quasi per huiusmodi obsidem non nihil refrugit, & ecclesiæ demum, cæteraque ædificia, quorum ruinae vix extiterant, hac occasione restauratae sunt, Itaque cum bonæ indolis puer ingenio sagaci Traiecti eximie proficeret, per ipsum, licet adhuc inscium, iam Christianus populus ab hostibus liber in Dei laudibus exultabat.

ii. Octob.

*A quo in
pueritia in-
stitutum.*

Postquam verò pater eius Héricus Rex gloriosus, fundato & ad vnguem pacato Imperio, reb. concessit humanis, & Ottho filius eius natu maior, magna voluntate & consensu principum, regni

*Héricus Rex
eius pater.*